DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-octavo mensis Novembris, Anno Domini M. DCC. XLIII.

M. GUILLELMO-JOSEPHO DE L'EPINE,
Doctore Medico, Præside.

An in morbis acutis, ubi materia turget *majori potiùs & unicâ quàm minori eâque sæpiùs in die iteratâ dosi propinanda Cathartica?*

I.

ARTEM nullam reperias quæ à pluribus exerceatur quàm Medicina: nullam quæ paucioribus innotescat: causam quæris; nemo est apud vulgus, qui de Medicinâ falsam sibi in animo idæam non fingat & à vero prorsùs alienam. Totam in medicaminum specificorum accuratâ cognitione integram versari autumant plerique: sic quot

morbos, tot putant esse specifica. In tenui sanè labor esset! At vir probus, si unquam fuit, & sapiens Hippocrates aliter se rem habere judicavit, cùm dixit artem esse longam: imò brevem vitam in comparatione asserit: tot sunt quæ debet attendere Medicus in suæ artis applicatione! Palàm quidem sunt omnia & in propatulo posita quibus utitur instrumenta: missiones sanguinis, purgantia, emetica, mochlica, drastica, epispastica, diaphoretica, &c. Catharticorum ἄνω & κάτω vires, nomina, doses, coctionem ecquis fermè non novit? Quin & ab ipsis tractandis vix est unus qui temperet; quàm cautè tractanda tamen! at, inquies, quid melius præstantiusve in Medico reperies? si morbum noverit, si remedium calleat, nonne satis est? Quid ampliùs expetit æger? Sanè nihil! At, cedò, quid hæc profutura censes, nisi Medicus habeat rationem regionis, loci, sexûs, ætatis, virium, opportunitatis, indolis morbi, ejus φασέων diversarum, earum inter se ordinis, ac præcipuè occasionis quam Divinus senex ait esse tantoperè præcipitem; quam ut præoccupare, in arte rudis est aut novitii: sic non statim occupare imperitè otiantis est? Hæc Empiricum latent, Medicum faciunt.

II.

NON omnis fert omnia tellus. Nec fert eodem modo: præsens toxicum in solo natali Malus Persica, optimum apud nos præbet medicamentum, jucundissimunm & salubre porrigit alimentum. Sic de morbis. Quâcum ludunt & otiantur vitæ securi, & tranquillam traducunt vitam ferè incurii Populi Orientales, dira Siphilis, nostræ regioni molestissima, nec expers periculi, Borealibus in plagis flagellum crudele horrendas edit strages. Qui brevì & facilè in loco sicco & perflato curaretur Rhumatismus ægro Medicoque crucem figit in habitatione aquaticâ, palustri, humidâ, in tecto gypso recens coagmentato. Structurâ partium, humiditate, temperie, à pluribus incommodis, in viris frequentioribus, ut Calculo, Podagrâ, ferè immunis est & liber sexus sequior, per eadem sexcentis infirmitatibus magis obnoxius, suffocationi, Lipothymiæ, Colicis doloribus &c. ætatis discrimina pro discriminandis medicamentis & earum dosibus esse metienda quis non sentit? Virium, non inter duos ægrotos tantùm, sed in eodem homine pro diversis temporibus, variâ ætate, habere rationem æquum profectò est & rationi consonum: Tempestatem variare morbos, inter mille exempla,

ſufficiat febris intermittentis autumnalis cum vernâ diſcrepantia. Opportunitates eſſe in morbis ſatis indicant inopportunæ morborum complicationes: poſt labores magnos, vigilias, ærumnas & calamitates, ingruentes morbi epidemici. Variolas inter & Variolas, quod in primo ferè aſpectu à perito Medico diſtantiæ judicatur, fidem facit indole inter ſe differre morbos qui gaudent nomine communi. φασέων morbi multitudo Medico non incognita, nec inexpectata cogit modò hoc, modò illud agere, modò ceſſare & vacare ab omni opere, modò ſanguinem, modò vomitum ciere, modò compeſcere, modò purgare, modò diligentiorem alvum pigram facere ac ſæpè contraria eâdem in die agere. Ordinis φασέων ſeu ſymptomatum qui curam non haberet & in æſtu febris purgaret, in ejus remiſſione & virium defectu ſanguinem hauriret in propatulo eſt quantùm erraret. Incipienti febri intermittenti quis adeò ſtolidus qui corticem Peruvianum audeat propinare bellè & tutò, corpore bene purgato, adverſùs febrem militaturum. Quid habet igitur Medicus quo glorietur & in quo ſe Medentium (quis enim mederi non vult?) vulgò ſuperiorem oſtendat & merito jure anteferat? Unum eſt: ut horum omnium habitâ ratione, occaſionem occupet. Hoc opus, hic labor eſt. Hoc ſolus Medicus poteſt. Hoc latet profanum vulgus, hoc ignorant Medicorum ſimiæ & Medicaſtri à puero bonis litteris non imbuti. Hoc non dedit nec dabit unquam Novacula.

III.

OCCASIONEM glabram, toto corpore nudam abſque capillitio fronte tenùs pinxêre veteres Poëtæ nec immeritò. Adeò præceps occurrit in Medicinâ, ut, ubi materia turget, nunquam recuperanda avolet, niſi præſtò ſit remedium quod intra breve ſpatium omnem ſaburram humorum eliminet, foràſque det protinùs: quin & crede tanti intereſſe ut quàm ociùs illud remedium ſuum abſolvat opus, ut ſi fermenteſcentes adhuc purgantis medicamenti reliquiæ cum redeunte febris paroxiſmo coïncidant, iliadem ſint parituræ malorum nullâ arte medicabilem: at quæret forſan: quid eſt igitur illa humorum, ut aiunt, turgeſcentia? * Famoſus ille Orgaſmus Divini ſe-

* Aph. 10. Sect. 4. ἢν ὀργᾷ latinè reddidêre Duretus & Heurnius, ſi humor ſit efferus, additque Duretus in Commentario, ne obſcurum videatur, eodem ipſo die quo feritas ipſa percipitur, non expectatâ remiſſione Paroxiſmi, *nedum ejus fine*, purgandum. Hollerius latinè reddidit hanc vocem ἢν ὀργᾷ, ſi ad ſui excretionem invitet materia; ſed in Commen-

nis adeò decantatus? Galenum ſequuti preſſo pede Commentatores ſinguli nodumne expediunt? Furorem humoris efferi ferè omnes latino idiomate reddidêre, comparatione, cujus autor eſt ipſe Galenus, factâ animalium prurigine libidinoſâ furentium, ὀργαόντων, at ipſi viderint ſi ſenſum Hippocratis bene intellexerint nec ne: regurgitationem tantùm immodicam intellige, niſi velis contraria paſſim ſuæ doctrinæ, rationi, & praxi effutiiſſe ſapientiſſimum noſtrum præceptorem: ſic omnia Divini ſenis dicta & præcepta conciliabis: dubitas! Rem ipſemet ſcrutare diligentiùs. Quæ Hippocratis tempore vera erant, hodie eſſe vera, & quæ hodie vera ſunt, putaſne illius ævo fuiſſe vera? Sanè admodum; ex his quid eſſe potuerit Orgaſmus judicium feras. Nonne quotidianâ experientiâ ſumus edocti in morbis acutis & peracutis, eò citiùs plerumque quò ſunt acutiores morbi, reperiri nonnunquam ſedulo & quaſi ex inſidiis ſpeculanti Medico, temporis momenta quædam pretioſa ſanè, in quibus poſt vehementem humorum effervefcentiam videntur humores ex ſuo furore quaſi conſidere. remittit ferè omninò febris, ineſt oris amaror, ſpurcities, nidor quaſi [illegible] ovi corrupti. Adſunt ructus graves, acidi, moleſti: ſingultus à bile in ſtomacho exundante: nauſeæ, vomitusillioſi, aſperi: tunc dicas corpus turgere, tunc humores turgere aſſeras: jam jam maturato opus eſt: tanquam vas plenum quod undequâque diffluit, ventriculus omni immunditiarum genere regurgitat: hæres iners! ſpectas otioſus! poſt paucas horas, qui totus quaſi ſub manu collectus erat faciliſque tolli, turgentem in ventriculo ac primis viis humorem brevi reſorptum iri videas, non ſine magno, eoque irreparabili ægrotantis damno. Tunc denuò furere humores; æſtuare, ac deliria fe-

torio innuit materiam turgere, id eſt commoveri & concuti à naturâ, compararique ſic ad excretionem. Mercurialis intelligit tunc turgere materiam, ac proindè purgandam, ubi humor concitatus eſt itaut hùc atque illùc cieatur, id eſt, non ſemper primâ die inchoantis morbi qui ſæpè initio placidus, ſed primâ die acutiſſimi facti. Plurimi, ne dicam ferè omnes, Hippocr. Scholiaſtæ eamdem in ſententiam deſcenderunt, at (liceat nobis dicere, pace Galeni, qui eos omnes in errorem communem induxit) perperam & malè. Quid enim magis & contrà rationem & experientiam & mentem Hippocratis quam cruda in Paroxiſmo purgare, quando humor eſt efferus. Sed comparatione quam attulit Galenus animalium ὀργαόντων, id eſt, libidine prurientium, à queis tranſlatam ab Hyppocr. ad humores ferocientes ſignificationem vocis ὀργᾷν aſſeruit, obſcurum reddidit locum quem abſque ejus Commentario, & eorum qui illud tranſcripſêre verbum pro verbo, nemo non intellexiſſet eo ſenſu quo dicuntur à Virgilio, *Turgentia lacte ubera.* Et aliàs, *turgent in ceſpite gemmæ. Turgent in palmite vites*, & quo ſenſu dixit Theophraſtus, δεῖ φυτεύειν καὶ σπείρειν εἰς ὀργῶσαν τὴν γῆν Atque ideò magis quod in ſenſu proprio illa vox ὀργᾷν de rebus inanimatis ſpecialiter intelligatur. Vide Hecquet ſuper. 22. 24. I. *Sect.* 29. II. *Sect* & 1. ac 10 IV. *Sect.* & plures alios Aph. A mente Hippocratis non deſciviſſe, rem dilucidè illuſtrare attentè meditanti videbitur, Orgaſmum judicat meritò anticipatam coctionem & criſim.

briſque recrudeſcere non ante decimum-quartum, aut vigeſimum-primum, aut forſan ulteriùs, ſi non præripiat intempeſta mors, deſitura. Momentum illud temporis, quod quinque aut ſex horas occupat, raro ad duodecim excurrit, ab Hippocrate deſignatum credas: raro enim, & in principiis tantùm morborum, nec in omnibus morbis, atque perraro pluſquàm ſemel in eodem morbo reperias. Conamen laborantis naturæ ac quaſi pondere devictæ meritò dixeris: at ſemper irritum, niſi ſuppetias feras Emetico vel Cathartico ſatis largâ doſi propinato: ſic ipſi opitulaberis utiliter, ſtimulum addes: ἄνω & κάτω materiæ morbificæ maximam partem deturbabis nec reverti ſines in ſanguinem: at cave ut ſit ſatis magna doſis. Noli tunc timidus explorator, partitis doſibus, leviuſculè fibras ſtomachi vellicando, oleum & operam perdere: ἀρχομένων των νούσων ἤν τι δοκέῃ κινέειν κίνει. Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις καὶ ἐν αρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν. Vult Divinus ſenex priùs deliberationem fuiſſe factam: vult antequàm celebretur Catharſis, diſcrimen rei ſubjectum fuiſſe examini, & priùs bene rem fuiſſe diſcriminatam atque dijudicatam; Commonuit primùm ὀλιγάκις eſſe celebrandam Catharſim; Commonuit iterùm initio morbi, aut nuſquam ante coctionem, fieri debere. Re proïn judicatâ maturè προεξευκρινήσαντας hærere non turpe & indecorum eſt, ſed periculoſum: operi igitur te accingas fortitèr: ſic morbum graviſſimum non curabis quidem, ſed minùs gravem reddes: de lethali ſanabilem: & forſan Paroxiſmum imminentem, ſi non avertes prorsùs, procraſtinabis, benigniniorem que facies: quin & novis ſimilibus & proſperis *Turgentiis*, inſequentibus diebus, locum dabis, criſes parabis, felicioreſque reddes.

Aph. 29. Sect. II.

IV.

CONTRA, quæ malorum Ilias, ſi vel minimâ interpoſitâ morâ ſeriùs quàm par eſt; aut lentiùs æquo parciùſve, propinaveris catharticum! Tunc detumuit turgentia: nec ſupereſt niſi ut memineris, πέπονα μὴ ὠμὰ φαρμακέυειν καὶ κινέειν, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν. Cathartici enim hauſti fermenteſcentes reliquiæ cum recrudeſcente paroxyſmo coïncidunt: ſiſtitur omnis evacuatio: abreptæque cum ſordibus unà & quiſquiliis in ſanguinis verticem purgantes particulæ tantò vividiùs furunt, quantò minùs exeruerunt & amiſerunt (in ventriculo) ſuarum virium; Inde deliria, ſpaſmi, convulſiones quæ (ut ab helleboro ſumpto) lethales ut plurimùm.

Aph. 22. Sect. I.

Quid ſi non tantùm concurrant deſinentis Cathartici ceſſantes reliquiæ cum febris exacerbatione ; ſed &, aut ſtibii, aut Kermes mineralis quarta, aut tertia, aut ſecunda pars grani *Triborio* quoque aut alternis, aut ſingulis horis propinetur, ut apud quoſdam moris eſt? Tunc fibræ nerveæ, membranaceæ, tendineæ muſculares, jam, à rareſcente per paroxyſmum ſanguine, ultrà modum tenſæ vellicantur incaſſùm, nihil contenti humoris tunc temporis neque emiſſuræ, neque expreſſuræ ; adeò per conſtrictionem vaſorum ſtrangulantur contenti liquores : Inde inflammationis auctio, ſpaſmi, dilacerationes & convulſiones nervorum, dolorifica inteſtinorum ; viſcerum, & muſculorum abdominis arte nullâ demulcendorum leniendorumve tenſio, gangrœnæ, ſphacelus, mors, quæ mali diritati, nedum intempeſtæ propinationi ſolet imputari. Cave igitur ſtatim atque illuceſcit non dies, ſed hora ſerenior, ſive interdiù, ſive noctu, ne ſtultè nunquam revocandam prælabi ſinas. Vigila : horam enim nec ſcis, nec ſcire fas eſt : In PERACUTIS interdum primo, raró in ſecundo die, ut in Apoplexiâ, & quibuſdam febribus ſummè malignis quæ malam digeſtionem mentiuntur : certis peripneumoniis & febribus intermittentibus nonnullis quæ febres malignas continuas per quatuor aut quinque dies ſpecie referunt : eryſipetalibus phlegmonodeis in quibus corpus totum aut membra integra ante tertiam diem in pus & ſphacelum omnia colliqueſcunt : morbis à plethorâ, catharris ſcilicet aut catharri ſpeciebus epilepſiam aut apoplexiam in primo & ſubitaneo inſultu (per mentitæ paralyſeos cum ſpaſmis convulſivis alternationes) æmulantibus & plurimis aliis morbis quos expertus è facili recognoſces. In ACUTIS quandoque in tertio, raró poſt quintum, ut in peripneumoniis vulgaribus, pleuritidibus, febribus malignis, variolis. Hujuſmodi (per *turgentiam*) quaſi anticipatæ criſi ne certam tibi lubeat expectare horam. Hanc aucupare ſi potes, totis viribus celeriter adjuva, modò enim non dabitur tempus ampliùs. Sæpe vix intrà quatuor aut quinque horas in principiis morborum felix illud turgentiæ tempus reperitur, ad octo aut decem non ſæpe excurrit. Væ ægroto ſi per id temporis feriareris otioſus. Age ergo dum licet ſtrenuus, nec malè palpere humorem, brevi, ſi moreris, debacchaturum impotentiùs. Dum per horas aliquot quietior facta exundat in ventriculo & inteſtinis, ne ſinas reſorberi materiam morbificam quam tentas molliùs. Deturba protinùs improviſo & aperto

marte, nec metuas eam viriliter aggredi. Vires forſan languentes & effœtas, proſtrataſque tibi Relligio eſt tam violenter laceſſere! at quæſo, putaſne apoplexiâ perculſum multis iiſque maximis pollere viribus? minimè inquies! Num tamen largâ & fermè prodigâ manu emetica & mochlica vereris illicò propinare? Num expaveſcis purgantibus ἄνω & κάτω intùs ſuſceptis in ipſo inſultu ſaginare aut potiùs ſaginam everrere? Tunc ne turgent humores? (& iſtum orgaſmum dîceſne furorem humorum efferorum?) lepidum foret ibi per epicraſin humores tentare & partitis intercalatiſque cathartici imbellioris *doſiculis* blandiri monſtro eò magis formidando quò ſegniùs torpet.

V.

AGEDUM ergo, dùm licet, benè: nec ſegni veterno torpeas ipſe. Tibi fucum non faciat practicorum quorumdam, nec forſan infimi nominis, huic noſtræ ac Hippocraticæ doctrinæ aliena agendi ratio. Non equidem invideo: miror magis: opponant experimenta plurima: pauca cum felici ſucceſſu. Plurima felicia per noſtram hanc methodum experientiâ tumet ipſe comperies: Mihi ne crede, vadem dabo meliorem, aſſertorem habes Hippocratem φαρμακεύειν, ἐν τοῖσι λίην οξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐθημερὸν. Κρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακόν Num illo, (tripode Apollinis certiori) oraculo credas multum faveri minutis imbellibuſque purgatiunculis. Apage ergo repetitas illas interdiù noctuque per totum morbi, cùm incipientis, tùm conſiſtentis tractum, Kermes mineralis, aut ſtibii, aut Ipecacuanhæ portiunculas futiles: Apage ſalia omnia Seignettia, Glauberiana, vegetabilia, polycreſta, quibus amaricant apozemata, juſcula, ptiſanæ: nec tibi veniat in mentem ſalſâ muriâ ſic miſerorum ægrotantium viſcera corradere, & ſuccos crudos adhuc nec probè coctos per vim emungere: multò minùs, ſapientis moræ impatienti tibi ne lubeat ſalubrem, humores lentè coquentis naturæ, tarditatem præmaturâ & intempeſtâ catharſi perturbare, ſed πέπονα φαρμακεύειν, μὴ ὠμά memento & coctionem, ſi potes, promove, ſin minùs, expecta ἀκμαζουσῶν γὰρ τῶν νούσων ἡσυχίην ἔχειν βέλτιον ἐστιν, quoniam περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότερα τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ. Raró turgere materiam commonet nos Magiſter, ſcilicet in paucis morbis, & raró, id eſt, vix ſemel, nedum bis, in eodem. Proïn benè memori tene

* Aph. 29. Sect. II.
Aph. 30. Sect. II.
Aph. 22, Sect. I.

animo hæc pauca, ἐν ἀρχῆσιν ; ὀλιγάκις ; οὖν ʼργᾷ ; αὐθημερὸν ; nec elapſâ ſemel, felici horâ quidquam niſi à coctione ſperandum exiſtimes.

Ergo in acutis, ubi materia turget, *majori potiùs & unicâ, quàm minori, eâque ſæpiùs in die iteratâ dozi propinanda Cathartica.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes Jacobus Belleteſte.

M. Antonius Ferrein, è Regiâ Scientiarum Academiâ Profeſſor Regius & Chirurgiæ Profeſſor.

M. David Vaſſe.

M. Michaël Philippus Bouvart, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Bartholomæus Murry.

M. Andræas Joſephus Seron.

M. Michaël Joſephus Majault.

M. Carolus Payen.

M. Thomas Renatus Gaſnier.

Proponebat Pariſiis, GUILLELMUS RUELLAN, Dinannæus, Doctor Medicus Monſpelienſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſienſis Typographi, 1743.